

18

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**TVSSI HYDROPICORVM**  
ANCIPITEM MORBI EVENTVM  
PRAEIVNCIANTE

---

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
ET REGIARVM SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XXX. NOVEMBR. A. S. R. clō 1800 LXIII. *D. III. Dec.*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

**SAMVEL FRIDERIC. EBERHARDVS PFLÜGER**

HALBERSTADIENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRG. EX OFFICINA HENDELIANA.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

DE

TASSI HYDROPHORICORVM

ANCIPITVM MORBI EVENTVM

PREVENIANT

AVCTORE

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VARO ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS

POTENTISSIMAE BRUNNENSIUM REGIS A CONSILIIS INTIMIS

MEDICIS ET PHISIOLOGICIS MATHEMATICO PRAESIDE ORDINARIO

FAVORITICO SINGULARI SENATORE ET REGIORVM AVMONIAM EPISCOPO

IDEALIS ACADEMIAE NATVALE CIVITATVM PRAESIDE

ET REGIA SOCIETATE SCIENTIARVM ANGLICANARVM HONORARIO

ET SOCIETATIS SOCIIS

PRO GRADU DOCTORIS

AVCTORIS IN MEDICINA HONORIS ET PRIVILEGIIS

DOCTORIS RITE COMPLETUS

IN REGIA ACADEMIA BRUNNENSI

IN AETATE FRIDERICIANA


PUBLICA DEFENSIT

AVCTOR

SAMUEL FRIDERIC EBERHARDVS PILIGER

HALLERTADIS

HAELAE MEDICAE ET OPTICAE BRUNNENSIANA



§. I.



quamquam futurorum morbi statuum  
cognitio diuini quasi quidquam prae  
se ferre videtur; id nihilominus cer-  
tum est, quod magnam, nisi maximam,  
suae nobilitatis sui que honoris partem  
mifere perdat, nisi a solida morbi sci-  
entia proficiscatur, atque sic firmo cui-  
dam initatur fundamento. Quam fa-  
cile enim in determinanda morborum prognosi errare pot-  
est is, qui sine ratione, verum coeco tantum impetu im-  
pulsus, hunc vel illum morbi praedicat euentum! Quam  
frequenter contingit, vt id, quod in vno subiecto vel lethale,  
vel periculosum saltem est signum, in alio neque peri-  
culosum sit, neque lethale, atque id tam ob differentem vnius  
eiusdemque morbi indolem, quam ob speciales diuersorum  
individuorum condiciones! Ne ergo, oborto hoc casu, in  
aegri & artis detrimentum peccemus atque decipiamur:

A 2

in

in formanda morborum prognosi ratione opus est, qua ducti, omnes, quae in aegro quodam circumstant, res attendimus, ponderamus, atque iusto & limato iudicio practico ad naturam corporis morbofi reuocamus, hacque ratione veram morborum eruimus prognosin. Hinc haec omnia tantopere vrget post HIPPOCRATEM tam clarus in morborum praedictionibus, licet nimium forsitan nonnunquam superbiens, GALENVS: Vid. *Prosp. ALPINI Tr. de Praesug. vit. & mort. aegrot. Libr. I. Cap. I.* Quare etiam non inutilem videntur laborem suscipere, qui signa morborum prognostica specialiora, per experientiam confirmata, ad suas reuocant rationes, ostenduntque, cur modo bonum, modo malum morbi euentum praenuncient? an semper, aut nonnunquam tantum, & quando boni malue sint omnis? quinam demum hac in re existant gradus? Haec iam ego pro viribus meis perficiam, de *Tussi hydropicorum, ancipitem morbi euentum praenunciante*, verba facturus. Faxit Deus, vt haec mea, quae suscepi, conamina feliciter cedant!

## §. II.

Id quam maxime credo in Semiologia conandum esse, vt, quae pro specialioribus signis morborum prognosticis ventilantur, per experientiam ita stabiliantur, vt veritas eorundem, quatenus tanquam signa morborum prognostica considerantur, exinde lucide satis pateat. Colligam eapropter hac occasione pauca quidem, certa tamen fidissimorum Auctorum testimonia, quae satis clare euincunt, tussim hydropicorum ancipitem morbi indigitare euentum. Ita HIPPOCRATES (Aphor. Sect. VI. Aphor. XXXV.): *Hydropicis tussis si superueniat, malum.* Arque porro (l. c. Sect. VII. Aphor. XLVII.): *Si bydropicum tussis habeat,*

babeat, desperatus est. LOMMIVS in *Obferuat. medicin. Libr. II. pag. 202.* non solum absentiam tussis ad bona hydropis signa refert, verum etiam pag. 203. expressis verbis notat: *Metus augetur, vbi in eodem morbo (hydrope) sicca tussis oritur.* Praeterea Illustr. PRAESES idem illud in *Fundam. Semiolog. medic.* confirmat, dum *Part. II. Sect. VII. Cap. XIV. §. X.* sic inquit: *Tussis quando asecti superuenit, nihil boni portendit, quod suo iam tempore HIPPOCRATES recte notauit. Non tamen de tussi ista leuiori, quae etiam inter initia plerumque sese iungit, hoc intelligendum est.* Plura facile testimonia hic afferre possem; verum sufficiant pauca haec adducta.

§. III.

In quolibet morbo generatim non nisi tria, a se inuicem distincta, cogitamus, morbum scilicet ipsum, causas eiusdem, atque effectus. Quodsi ergo tussis hydropicorum malum morbi praenunciet euentum: necesse est, vt id fiat, vel ob indolem tussis, in se consideratae, vel ob causas eiusdem, vel denique ob effectus in corpore hydropico ab illa proficiscentes. Verum tussis, quatenus in se consideratur, in tantum saltem incipitem morbi euentum praemonstrat, in quantum corpori, hydrope adfecto, nocet & detrimentum adfert; ergo quatenus graues in eiusmodi aegro excludit effectus. Quare demonstraturus malam in hydrope, ob praesentiam tussis, formandam prognosin, vel causas tussis, vel eiusdem effectus, vel vtrumque denique attendat necesse est, atque ex his veritatem asserti euincere debet.

§. IV.

Considerabimus itaque, quantum ad obtinendum scopum nostrum necesse est, & causas, & effectus tussis, at-

que ab illis, in quantum in aegrum, ex hydrope decumbentem, cadunt, initium sermonis capiemus. *Causae* tussis, hydropi superuenientis, duplici respectu considerari possunt. Aliae proficiscuntur ita ab indole hydropis, ut tussis hydropi *symptomatice* accedat: aliae contra ea ab accidentalibus quibusdam circumstantiis pendent, tuncque tussis symptoma hydropis proprie dici nequit. Priores maxime a nobis attendi merentur, quum in his maximum morbi lateat periculum: posteriores non ita sunt periculosae, neque vnquam periculum adferunt, nisi hydropis conditio iam ita sese habeat, ut ob hanc ad incitās fere vita aegri redacta sit. Possent quidem *mixtae* quaedam *causae* tussis in hydrope fingi, id est, quae tam ab hydrope, quam ab aliis rebus, quae circumstant, promanant; atque negari nequit, easdem vere saepe existere. Quum veroharum ad hydropem rationes facile ex consideratione earum, quae non sunt mixtae, intelligantur: illarum mentionem iniicere superuacaneum esse duco. Ordiamur a priorum maxime notabilium causarum huius tussis tractatione, generaliores tussis causas ex Pathologia, tanquam fecaturigine, haurientes.

§. V.  
 Vna ex frequentissimis causis, quae tussim in hydropicis excitant, est *aqua, collecta in abdomine, diaphragma nimium versus superiora urgens*. Aquam saepius in abdomine apud hydropicos modo in cellulosa, modo in ipso cauo abdominali deprehendi, plenius in Pathologia edoceri debet. Ista vero nimium accumulata non solum diaphragmati, sub inspiratione descendenti, resistit, verum quoque ita in potentissimum hocce inspirationis auxilium agit, ut magis validiusque, quam par est, versus cauum thoracis



cis protrudatur. Ponamus iam, hoc reapse existere & contingere in corpore hydrope adfecto. Diaphragma, praecurrentibus ratione & experientia, maxime inferuit suo descensu inspirationi, atque id ita quidem, vt illo laeso haec illaesa perdurare non possit. Quodsi itaque fiat, vt diaphragma ab aqua, restagnante in abdomine, non solum descendere sufficienter prohibeatur, sed magis etiam validiusque superiora versus vrgeatur: non poterit tunc salua perennare inspiratio. Haec eapropter in eo casu valdopere laederetur. Verum vbi causa est, ibi simul obtinent effectus illius necessarii, quos ab illa separare nefas est. Ergo vbi inspiratio laesa est, ibi effectus, inde necessario pendentes, adsint necesse est. Nunc autem ex Physiologiae demonstrationibus elucescit, inspirationem in homine nato necessario requiri, vt transitus sanguinis per pulmones ad cor sinistrum perficiatur. Quamprimum itaque contingit, vt inspiratio minus libere peragatur, necesse est, vt transitui sanguinis per pulmones haud leuis obiiciatur obex. Atqui accumulatio sanguinis in pulmonibus, quam, posito impedito huius fluidi per dicta viscera transitu, ponere simul debemus, causa tussis generatim existit. Quare dubium non est, quin iis, quibus inspiratio impedita subnascitur aut subnata est, causa tussis suborta sit. Verum enim vero hydropici nonnunquam, ob aquarum, in infimo ventre latentium, nimiam accumulationem, inspirationis patiuntur laesionem. Quid mirandum itaque erit, quando hydropi tunc, ob modo adductam causam, tussis, vt morbi symptoma, seu symptomatice accedat?

§. VI.

Causarum similium similes sunt effectus. Quod ergo §. anteced. de effectu aquarum, in abdomine collectarum,

rum, nimiumque diaphragma vrgentium, demonstraui-  
 mus, id ipsum quoque de simili causa similiter valebit.  
 Quam ob rem omne id, quod eadem ratione, vt designa-  
 tae aquae, in diaphragma agit, tussim prouocare valebit  
 (§. anteced.). Atqui viscera abdominalia, hepar potissi-  
 mum, lien, omentum, &c. tumida reddita, non minus,  
 quam aqua hydropicorum, septum transuersum superiora  
 versus vrgent: ergo illa quoque causae tussis erunt. Ve-  
 rum viscerum abdominalium tumores satis frequentes in  
 hydropicis reperiuntur, docentibus id sectionibus anatomi-  
 cis. Quare hinc quoque fieri poterit, vt tussis hydropi-  
 accedat. Tunc vero frequentissime saltim, tussis hydropi-  
 corum erit symptoma hydropem determinantis causae,  
 non vero ipsius hydropis, nisi tibi forsitan libuerit, sym-  
 ptoma morbi paulo latiori significato assumere, idque ad  
 omnia symptomata, quae adsunt in morbo, adplicare  
 (§. IV.).

§. VII.

Sed & alia huius tussis in hydrope adest causa, quae  
 non multum ab ea, quam §. V. considerauimus, recedit,  
 licet alio respectu satis ab eadem diuersa sit. Prouti nimi-  
 rum, praesente hydrope, tantopere saepenumero in ab-  
 domine accumulatae & congestae deprehensae sunt aquae,  
 vt mirum inde versus thoracem ascenderit septum trans-  
 uersum: ita haud infrequenter, eodem prouocato morbo,  
*fluidum aquosum*, hydropicum attollens tumorem, *in cauo*  
*thoracico adeo irrigauit partes, vt pressum inde diaphragma*  
*congrue ascendere recusauerit*, hincque maiori vi, quam  
 quae sanitatis statui responderet, inferiora versus descende-  
 rit. Quam valida vero exinde subnascitur tussis in hydro-  
 picis causa! Vt autem haec plenius cognoscatur, vt, quae  
 ipsi

ipſi ineſt, grauitas dignius pateſcat: accuratius diſſerere de eadem merito iuuabit, hincque ſumma iam afferam momenta.

§. VIII.

Atque primo quidem ideo haec cauſa (§. anteced.) tuſſim producere valet, quod ſitus vaſorum, cordi propinquiorum, ab inde mutatur. Docent ſcilicet Anatomici, pericardium, firmum illud nobiliſſimi cordis tegmen & fulcrum, ſatis firma cellulosa ſepto tranſuerſo adhaerere in homine. Mei non eſt, cauſſam huius phaenomeni ſcrutari. Contentus veritate rei, eius cauſſam Physiologiſ deſterminandam relinquo, deducturus exinde veritates, meae inferuentis demonſtrationi. Si pericardium cum ſepto tranſuerſo adeo arte cohaeret: neceſſe eſt, vt cor, diaphragmate verſus viſcera abdominalia, deſcendente, inferiora verſus abripiatur. In pericardio enim, ſuperius cum vaſis cordis ſanguiferis annexis ſeſe commiſcente, reconditum haeret cor, quod eapropter ſitum & pericardii & diaphragmatis mutatum ſequitur. Quo validius itaque diaphragma verſus infimum ventrem inclinatur: eo magis quoque cor verſus eandem plagam mouebitur. Qui vero ſitum cordis locumque, ad quem pericardium ſepto tranſuerſo adglutinatur, nouerit, iſ facile intelliget, validum & morboſum cordis deſcenſum, ſine graui ſitus vaſorum ſanguiferorum, cordi adnexorum, mutatione poſſibilem concipi non poſſe. Hinc vero ſimul ſluit, tranſitum ſanguinis e pulmonibus impediri debere. Vnde & accumulatio huius laticis in pulmonibus, conſequenter cauſſa tuſſis, oboritur (§. V.). Quodſi itaque ſeptum tranſuerſum valido cum impetu deſcendere cogatur: fieri aliter vix poteſt, quin inde cauſſae tuſſis aperiatur ſcaturigo. Atqui adeo validus

diaphragmatis descensus in corpore, hydropē laborante, non admodum infrequenter contingit, demonstrantibus id iis, quae §. anteced. adducta leguntur. Ergo ideo etiam tussis ad hydropem symptomatice accedere poterit (§. IV.).

## §. IX.

Qui euicta haec (§. anteced.) ad ea, quae §. V. allegata sunt, rite adplicat, nouam is facile deprehendet causam, cur inde a nimio & validiori diaphragmatis versus thoracem adscensu, inaequali potissimum (§§. V. VI.), tussis in hydropē procreetur.

## §. X.

Verum aliam etiam ob causam (§. VIII.) validus septi transuersi descensus tussim excludere potest (§. VII.). Pro uti diaphragma naturali suo descensu inspirationi egregie inferuire euincitur in Physiologia: ita in hac ipsa scientia docetur, eundem musculum suo adscensu, in quantum naturalis est, expirationem adiuuare potentissime. Quanto pere itaque actio haec laedi debet, quando diaphragma impeditur, quo minus congrue superiora versus attollatur spatiumque thoracis imminuat! Verum enim vero hoc ipsum contingit, quando enormis aquarum copia septum transuersum deprimit (§. VII.). Nonne hinc itaque tunc impedita existet exspiratio? Quis id negare potest! Sed exspiratio quoque requiritur, ut sanguis, permeans pulmones, rite regrediatur, praemonstrante id satis clare Physiologia. Quare illa impedita, hic sanguinis per pulmones transitus saluus & illaesus permanere nequit. Atqui tunc accumulatur sanguis in pulmonibus, causam tussis foecundam suppeditans (§. V.). Quam ob rem hinc etiam intel-

ligitur,

ligitur, rursim hydropicis tumoribus symptomatice accedere.

§. XI.

Quando diaphragma diu in situ, quem sub valido descensu occupat, detinetur; opus tunc est, vt adeo demum debilitetur, vt postea, sublata etiam causa deprimente, vim, qua superiora versus progreditur, amittat, hincque eius ascensus longe difficilior, quam antea, contingat. Patet id ex sola naturae diaphragmatis & causae deprimentis (§. VII.) consideratione. Vt nihil iam dicam de neruorum, ad diaphragma tendentium, compressione, qua pars roboris in diaphragmate aboletur; vt & id omittam, quod musculi etiam abdominales, actione sua multum diaphragmatis ascensum adiuuantes, ob aquarum copiam, in abdomine collectam, cum pectoris hydrope concurrentem, tanto in gradu hinc simul debilitentur, vt & minus sese retrahant, & mitius quoque diaphragmatis ascensui opitulentur. Docent haec eniuius, fieri posse, vt aquae hydropicae, thoracem inundantes, diaphragma viresque eius auxiliatrices tantopere potentia sua priuent, vt hinc quoque ascensus diaphragmatis difficilior reddatur. Tunc autem fieri aliter vix potest, quin respiratio languescat, sanguisque in pulmonibus accumuletur (§. anteced.), vnde causa tussis possibilis enascitur (§. V.). Noua hinc patet causa, quae efficit, vt tussis hydropi symptomatice (§. IV.) accedere haud difficulter possit.

§. XII.

Atque haec etiam causa tussis (§. anteced.), mutatis mutandis, ad eam, quam §. V. suppeditauius, adplicari potest, vnde fit, vt causa tussis, superius l. m. c. recitata, nouum quasi augmentum & incrementum nanciscatur. Ve-

rum ex §. VI. concludere simul possumus, quod, si in hydrope status partium thoracis talis sit, qualis in visceribus abdominalibus §. citat. supponitur, atque simili modo in septum transuersum (§. VII.) agat, hinc quoque tussis enasci possit.

## §. XIII.

Contra ortum tussis in hydropicis hætenus explicatum (§§. V–XII), atque a nisu aquarum corporumque tumendum in diaphragma pendentem, nonnullorum Auctorum pugnare videntur asserta, quae non omni sunt robore destituta. Vid. MONROO Tr. de Hydrope, Edit. germ. p. 15. not. e. Id nimirum valdopere huic theoriae aduersari putant, quod obseruatio in asciticis docuerit, tussim nonnunquam, pleno aquarum infimo ventre, abesse, eandem, eductis paracentesis ope fluidis, oboriri atque, quando postea aquae demum costarum spuriarum regionem eleuant, euanescere. Non tamen adeo difficile & graue hoc est argumentum, vt ideo falsam esse suppeditam theoriam iudicemus. Pauca hoc dubium soluent. Quando ab ascite diaphragma sursum magna cum vi protruditur; non poterit tunc naturali sua vi deorsum ferri. Quamprimum itaque vno quasi impetu aquae, quae ascitis existunt causæ, paracentesis auxilio excernuntur: fieri aliter non potest, quin actio diaphragmatis, satis valida, deorsum vergat, idque eo maiori cum vi, quo magis tunc resistentia partium abdominalium est sublata, quoque magis partes inferiores, ob præcedentem distensionem, debiles factæ sunt. Huic nimis excedentis descensus diaphragmatis causæ alia sæpenumero accedit. Quis enim est, qui nesciat, quam facile asciti hydrops pectoris sese adiungat? ad cuius possibilis effectus pertinet valida diaphragmatis depressio (§. VII.).

Quod.

Quodsi vero tam potenter diaphragma deprimatur: caussa existit tussis (§. VII. seqq.). Quare fieri potest, vt a paracentesi tussis oboriatur. Cur autem haec ipsa euanescit, quando regio costarum spuriarum denuo turgescere incipit? Caussa tussis, vt monui, erat descensus diaphragmatis nimis validus. Hoc itaque ablato, tussis quoque hydropica euanida reddatur necesse est. Verum intumescencia costas circa spurias, post paracentesin comparens, signum est renascentis hydropis, cuius ope dein diaphragma denuo ita quasi stabilitur, vt tota sua vi descendere impediatur. Quid ergo mirandum erit, quod in descripto casu tussis, a paracentesi excitata, mitior fiat, immo successiue plane cesserit? Quomodo vero sit, vt demum a paracentesi nunquam in asciticis tussis proueniat, quum tamen antea adeo valida obtinuerat abdominis distensio ab aquarum accumulatione, vt ingens inde determinari debuerit diaphragmatis ascensus, quem caussam tussis in hydropicis esse supra iam diximus (§. V.). Probabile est, in eo casu cum ascite hydropem pectoris, diaphragma deorsum vrgentem, simul coniungi ita, vt aquae, in abdomine latitantes, tantum saltem diaphragma sursum pellant, quantum aquae in thorace contentae eundem musculum versus inferiora descendere cogunt. Tunc autem descensus diaphragmatis, ab ascite productus, tantus esse nequit, vt inde tussis, in hydropis alias comparens, queat euadere caussa (§. V.). Haec allatum dubium satis nunc soluere credo.

§. XIV.

Haud quemlibet fugere posse arbitror, voto nimis frequenter accidere, vt in pericardio aqua, quae a sacculo hoc nomen suum est sortita, adeo magna in quantitate coaceruetur, vt hydrops inde, quem pericardii dicunt, ori-

ginem suam sumat. Quid vero iam exinde, respectu situs vasorum cordi adnatorum, ut & refluxus sanguinis e pulmonibus, euenit? Quum pericardium arcte satis cum vasis cordis accessoriis cohaereat, cor tamen ipsum laxè cingat: non poterit aliter fieri, quin deficiente pericardio a situ suo naturali, vasa ista simul detorqueantur, consequenter situm suum, quem antea habebant, mutant. Oriatur nunc pericardii hydrops. Aqua, nimium accumulata, versus inferiorem tunc pericardii regionem validius ager, hincque efficiet, ut & ista, quae diximus, vasa magis versus diaphragma aut latera vrgeatur. Verum situs vasorum, cordi adnatorum, mutatus, merito suo caussis, tussim in hydropicis producentibus, accensetur (§. VIII.). Vix ergo inficias ire possumus, quod hydrops pericardii, ob adductam moderationem, tussim in homine, eodem misere adducto, excitare valeat.

## §. XV.

Consideres dein (§. anteced.), quam impeditus, ob praesentiam aquae in pericardio, sanguinis debeat in cor esse influxus, quamque difficilis egressus. Lenior cordis & pericardii docet id consideratio ita, ut superuacaneum esse ducam, vberiore huius asserti suppeditare demonstrationem. Quis vero non videt, tunc quoque sanguinem in pulmonibus debere accumulari? Sed si hoc: non deficit sane tussim excitans caussa. Quare dubium non est, quin hinc genesis tussis merito quoque & iure deducenda veniat.

## §. XVI.

Quum denique pericardium cum diaphragmate non leuiter cohaereat (§. VIII.), necesse est, ut, aucta nimium pericardii resistentia, diaphragmatis descensus, valde infringat.



gatur. Atqui pericardii resistentia valde procul dubio inualefcit, quando liquor illius nimium quantum adaugetur, qualis status obtinet sub hydrope pericardii (§. XIV.). Ergo hydrops pericardii descensum diaphragmatis impedit. Verum hinc nascitur caussa tussis (per super.), quae ergo hinc quoque in hydropicis oboriri potest.

§. XVII.  
Fluidum, quod copia sua hydropem producit, in pulmonum cellulis tanta in copia & quantitate colligi posse, quanta requiritur, vt hydropis ratio in eundem statum quadret, res est adeo firma atque adeo explorata, vt omni demonstratione superior iudicanda sit. Quis iam ita rudis in Physiologia & Pathologia esse potest, quin perspiciat, ab eiusmodi statu liberio rem sanguinis per pulmones transitum sat valide impediri? Nonne comprimet eiusmodi aqua vasa sanguifera? Nonne resistet sanguini in vasa pulmonalia irruenti? Nonne impediet sufficientem dilationem pulmonum? Ab his vero omnibus & accumulatur sanguis in pulmonibus, & caussa fit tussis. Quod ergo ab hydrope pulmonum tussis oriri queat, nullum est dubium.

§. XVIII.

Jam ad alium statum corporis humani, his praemis- sis, accedo, quem haud minus solennem in hydropicis esse, & ratio suadet, & experientia confirmat. Fluida corporis humani ad concipiendam corruptionem valde procliuia esse, neminem, in re medica paulo versatum, fugere potest. Quam facilis ergo ista erit corruptio, quando fluida nostra diu in loco quodam stagnant? Quanto facilius, si in loco calido & clauso per notabile temporis interuallum retinentur? Verum haec omnia obtinent praesente hydrope, vt- pote qui sine hac stagnatione concipi nequit & cogitari.

Quod

Quod ergo fluidum, hydropem suscitans, corrumpi queat, assumamus necesse est. Atqui fluidum corporis humani corruptum acre fit. Ergo aqua hydropicorum acrimoni-  
am concipere potest. Acrimonia autem humorum loca sensilia irritat. Quare si contingat, ut fluidum, quod causa est hydropis, acre fiat, simulque ad loca sensilia perfectatur: aliter fieri non potest, quin haec inde contra sanitatem sollicitentur.

## §. XIX.

Vasa pulmonum aërifera sensilia esse, & ab irritamento applicato & admoto ad vehementiorem contractionem stimulari, per experimenta constat, & quotidiana ferme haudque infrequenti observatione confirmatur. Quod si ergo fiat, ut acris illa materia, quam §. anteced. diximus, hisce pulmonum locis inferatur: contingat necesse est, ut eadem inde irritentur. Eiusmodi vero irritamentum non poterit non tussim producere, demonstrante id inprimis Pathologia. Quare dubium non est, quin, si hydrops ita (§. anteced.) mutatus pulmones adficiat, tussis inde hydropicorum originem suam sumere queat.

## §. XX.

Quum demonstratio §. XVIII. suppeditata generalis sit: descripta itidem mutatio in omni hydrope contingere potest; hinc in pulmonum quoque hydrope. Tunc vero materia fluida, hydropis causa, vasa aërifera pulmonum tangit, atque acris facta, & irritationis pulmonum & tussis existit causa (§. anteced.). Iure itaque meo adfirmare me posse arbitror, quod hydrops pulmonum, quando acre redditum est serum, tussim in subiecto, quod adffigit, determinaturus sit.

## §. XXI.

§. XXI.

Aquis, fluctuantibus in cauo thoracis, acrioribus red-  
ditis, aequae facile prouocatur tussis. In corpore enim hu-  
mano vbique sunt vasa inhalantia & absorbentia. Merito  
igitur id quoque de pulmonibus valebit. Tunc autem ma-  
teria ista, quam acrem factam esse supposuimus, defertur  
ad pulmones, horum vasa aërifera sollicitans (§. XVIII.),  
vnde tussis concipitur origo (§. XIX. XX.). Ergo si flui-  
dum, sub pectoris hydrope fluctuans in eiusdem cauo, acri-  
moniam conceperit, tussis inde non poterit non suboriri.

§. XXII.

Quum eiusmodi aqua, vt materia grauitate gaudens,  
in pulmones agat; inde autem novum circuli sanguinis per  
pulmones impedimentum subnascatur: hinc causa prae-  
cedens (§. XXI.) respectu suae actionis augetur, & tussis eo  
facilius orietur.

§. XXIII.

Per experimenta, omni exceptione superiora, doceri  
potest, quod septi transuersi irrationes satis validam tus-  
sim efficere queant, atque eandem veritatem variae mor-  
borum circumstantiae confirmare magisque stabilire vi-  
dentur. Si itaque aqua, hydropis pectoris & abdominis  
causa, notabilem acrimoniae gradum contraxerit: hinc  
quoque tussis ortum suum trahere potest, cuius asserti fu-  
sionem demonstrationem ideo omittendam esse duco, quia  
ex allatis in antecedentibus absque difficultate innotescit.

§. XXIV.

Hinc vero (§. anteced.) noua ratio patet, cur tumen-  
tes thoracis infimique ventris partes tussim hydropicorum  
excitare valeant? Quis nescit enim, quod eiusmodi tumo-

res vim stimuli & irritamenti respectu diaphragmatis exferere possint facile?

## §. XXV.

Vnius adhuc tussis hydropicorum causae mentio incipienda erit. Redit haec ad febrem lentam & hecticam, cuius ortus in hydropicis cognoscitur facile. *Primo*: Febris lenta & hectica oriri potest a stagnatione humorum in visceribus. Atqui hydrops saepe oritur a stagnatione humorum in visceribus, aut eandem inducit, ob debilitatem in toto corpore contractam. Ergo patet, eiusmodi febrem hydropi accedere posse. *Secundo*: Corruptio fluidorum causa est possibilis febris lentae & hecticae. Atqui corruptio humorum contingere potest praesente hydropi (per super.). Ergo inde quoque ortus eiusmodi febris elucescit. *Tertio*: Ad causas febris lentae & hecticae pertinet sanguificatio laesa. Hydropicum corpus est debilitatum. Quare viscera etiam robore suo sunt destituta. Sed viscerum ope peragitur sanguificatio, docente id Physiologia. Quare, quod febris lenta & hectica, vna cum hydropi, vni eidemque corpori inexistere queat, dubitari nequitam potest, id quod etiam experientia confirmat. Hisce omnibus adhuc aliae accedere possunt causae, quas tamen silentio premo, quum & minus sollemnes sint, & veritas nostri asserti hac iam ratione demonstrata ac euicta sit, vt de eadem dubitare nefas omnino foret ac absonum.

## §. XXVI.

Aequae facile quoque ostenditur, qua ratione fiat, vt febris lenta & hectica causa sit tussis. *Primo*: Omnis febris lenta & hectica supponit, vt fluida acriora sint. Hinc ergo facile pulmones stimulari possunt. *Secundo*: Febris lenta & hectica laedit sanguificationem. Sanguificatione

vero

vero laesa mixtio humorum deprauatur; quare & hinc tussis oriri potest. *Tertio:* A febre lenta & hectica laeditur digestio. Digestione autem laesa, laeditur sanguificatio, quae causa est tussis (per anteced.), vnde ideo quoque febris lenta & hectica tussim producet. *Quarto:* Omnis febris lenta & hectica requirit, vt febriles adsint motus; hinc insimul oriuntur congestiones, ad loca maxime debilia dirigendae. Iam autem pulmones sunt loca corporis humani aliis debiliora. Quamobrem, ob praesentiam febris lentae & hecticae, congestiones sanguinis & humorum versus pulmones contingere poterunt. Verum notum iam est ex iis, quae in superioribus allata a nobis sunt, quod eiusmodi congestiones satis foecundae sint tussis causae. Pulmones ergo eo facilius a tussi adfligi debent, quo facilius atque celerius chylus, tunc corruptus, ad pulmones fertur.

§. XXVII.

Febris itaque lenta & hectica causa est tussis (§. XXVI.). Sed illa ipsa febris ita cum hydropo coniungi potest, vt cum hoc morbo vni eidemque subiecto inexistat (§. XXV.). Ob eandem ergo febrem tussis hydropi accedere procul dubio potest.

§. XXVIII.

Differni haecenus de iis tussis hydropicorum causis, quae vel ob causam hydropis, vel ob ipsum hydropem nasci possunt. Sequuntur aliae, quae mere sunt accidentales. Sed tribus tantum verbis de his loquar, quum minus mihi hic utiles & necessariae sint, & vnicum principium ad easdem cognoscendas sufficiat. Quoniam nempe, praeter adductas recensitasque tussis causas, aliae adhuc dantur, quas Pathologi fufius suppeditant; quoniam etiam hydropis indoles non necessario easdem ita tollit, vt illarum ortus inde

impossibilis reddatur: ideo sequitur, has ipsas tussim producentes causas ad hydropem accedere posse, atque hinc propter easdem tussim in subiecto hydropico ortum suum ducere. Concipe v. g. adfectus catarrhales hydropi superuenire, id quod omnino fieri facile potest. Quum vero adfectuum catarrhalium symptoma sit tussis: hinc patet, eandem ideo accidentaliter cum hydropice coniunctam occurrere posse. Atque haec facile quoque ad alia exempla a quolibet applicari poterunt. Neque minus exinde cognitio causarum tussis, in hydropicis occurrentis, quas *mixtas* (§. III.) diximus, hauriri poterit.

## §. XXIX.

Explicatis sic causis, quae actione sua hydropicis tussim inducere possunt; ad *effectus* huius tussis, quatenus ad hydropem potissimum referri possunt, transeundum mihi erit (§. III.). Quum tussis generatim sibi validissimam expirationem vindicet: hinc effectus etiam, a validissima expiratione pendent, generales erunt tussis effectus. Nunc vero eiusmodi expirationem concipere non possumus sine potentissima omnium ferme corporis humani partium concussionem. Quare haec quoque erit generalis tussis hydropicorum effectus.

## §. XXX.

Quum hydrops generatim oriatur a stagnantibus & nimium accumulatis aquis in parte quadam corporis humani; hinc vero fiat, ut partes, hydropice adfectae, nimium distendantur; distensio autem partis concipi nequeat sine imminuta eiusmodi distensae partis cohaesione; sequitur, omnem hydropem requirere, ut pars hydropica imminuta laboret cohaesione. Quo minor autem est cohaesio in parte quadam corporis humani: eo facilius illa ipsa, accedente

dente caussa rupturae alia, rupturam patitur. Ergo necesse est, vt concedamus, cohaesionem elementorum, partem hydropicam constituentium, haud magna difficultate plenarie tolli.

§. XXXI.

Sub omni tussi omnes ferme partes corporis humani satis potenter valideque conuertiuntur (§. XXIX.), adeoque etiam partes, quas tumor occupat hydropicus. Tunc vero, si hoc contingat, opus est, vt huc & illuc aquae stagnantes moueantur, consequenter, cum tanto impetu impellantur, versus varia partis hydropicae loca magna cum vi alidant. Verum enim vero partes hydropicae ita comparatae sunt, vt earundem cohaesio haud magna cum difficultate plenarie tollatur (§. XXX.). Quare recte exinde colligimus, fieri posse, vt ob accessum tussis ad hydropem, partes, ab aquis obrutae, disrumpantur & crepaturam, facillimo negotio euenientem, patiantur.

§. XXXII.

Quo grauior ergo erit tussis, quoque molliores iam redditae sunt partes ab ipso hydropem: eo facilius iste effectus (§. XXXI.) ad actum deducetur. Quo grauior enim est caussa, eo grauior procul dubio est effectus, ab illa deducendus, eoque facilius producitur.

§. XXXIII.

Ergo si partes istae iam corruptae, gangraenosae & sphacelosae redditae fuerint: facillima erit partium talium ruptura (§. anteced.). Neminem enim fugere potest, quod tunc partes istae robur suum naturale, quod ex cohaesione oritur, perdant & molliores euadant.

§. XXXIV.

Patere exinde simul potest, quam tristes hinc (§. anteced.)

reced.) effectus in corpore hydropico excitari possint. Po-  
ne v. g. in ascitico, diaphragmate iam molli existente, tussim  
validam oriri. Quam facile tunc fiet, vt, explosis quasi  
aquis, infimum ventrem occupantibus in thoracis cauitatem,  
suffocatio in instanti inducatur. Similis sane erit casus illi,  
qui in *Annalibus phys. medic. Vratislau. ann. 1725. Tentam.*  
*XXXI. p. 99. seqq.* refertur. Asciticus, qui cum morbo diu  
iam colluctauerat, ob lapsum actutum, interiit. Sectio a  
morte instituta, multas partes, interque has diaphragma  
quoque, molliores & disruptas monstrauit; pectoris cauitas  
plena erat aquis, quae per foramen, in parte diaphragmatis  
carnosa obortum, penetrauerant; facies denique, faciem suf-  
focatorum ex asse respondens, satis indigitabat, aegrum ob  
determinatam suffocationem fulgure ocyus fati cessisse.  
Nonne simile quid a tussi produci potest? Adeoque quilibet  
perspicit, quod idem illud etiam in pectoris hydrope  
obtinere queat. Hinc aequae funesta erit tussis valida in  
quibusdam hydrocephali aliorumque quorundam hydro-  
picorum tumorum speciebus.

## §. XXXV.

Proinde facile etiam elucescit, istam, quam diximus,  
rupturam minus, si generatim, quod maxime notatum ve-  
lim, perpendatur, optandam esse. Facta enim ruptura,  
aqua vel in cauitates abit, vel extra corpus profluit. Si  
prius, tunc vel viscera mollescunt, vel corrumpuntur sta-  
tim ob acrimoniam, quam fluidum forsitan contraxit. Si  
posterius, tunc facile fit, praecipiente id Pathologia, vt vl-  
cera inde qualificata proueniant. Vnde patet, rupturam  
partis hydropicae; generatim consideratam, minus esse  
bonam.

## §. XXXVI.



§. XXXVI. Nunc iam propositio, quam in Specimine hocce in-  
 augurali demonstrandam mihi sumsi, facile erui & euinci  
 poterit. *Signum ancipitis morbi euentus* erit signum, quod  
 innuit, malum potius, quam bonum morbi euentum pro-  
 ductum iri. Vnde autem elucescit, quidnam sit signum  
 ancipitis hydropis euentus? quidque requiratur genera-  
 tim, quando tussis tale esse debeat signum respectu hy-  
 dropis?

§. XXXVII. Quodsi itaque tussis ostendat, quando in hydropicis  
 comaret, quod caussa hydropis sit. 1. grauis; 2. non fac-  
 ile remouenda & 3. omni artis vi superior: tunc tussis hy-  
 dropicorum omnino erit signum, quod morbus ancipitem  
 euentum nancisci debeat (§. anteced.).

§. XXXVIII. Quodsi porro tussis hydropicorum indiget, leth-  
 ales, aut saltem graues futuros esse hydropis effectus: tunc  
 non minus erit signum, quo praesente anceps hydropis  
 euentus metuendus est (§. XXXVI.). Haec iam ad superio-  
 ra applicanda sunt.

§. XXXIX. Quum omnes caussae tussis, superius enarratae, atque  
 vel a caussa, vel ab ipso hydropis effectu deductae, ita com-  
 paratae sint, vt vel nunquam, vel difficillime curari possint,  
 prouti ex istis ipsis, & fundamentis therapeuticis, satis per-  
 spicitur: sequitur, tussim ita ortam signum esse ancipitis  
 hydropis euentus (§. XXXVII.). Quum dein valida tussis,  
 hydropi accedens, effectus minus optandos producat (§.  
 XXXI. seqq.), nullum est dubium, quin talis etiam tussis  
 simile sit in hydrope signum (§. XXXVIII.). Quo plures  
 itaque

itaque, quo grauiores tussis in hydropico caussae, quoque plures & maiores circumstantiae expositos in antecedentibus effectus prouocant: eo certius tale erit eiusmodi tussis signum.

## §. XL.

Ex ipsa ergo demonstratione cognoscitur, non omnem tussim in hydropicis malum praenunciare morbi euentum (§. antecedent.); non minus etiam facile nunc intelligitur, 1. quanam tussis vere lethaliorem morbi praenunciet? 2. cur HIPPOCRATES diuersa ratione de tussi hydropicorum locutus sit (§. II.)? Conf. simul assertum *Illustr. & Vener. PRAESIDIS* ibi adductum.

## §. XLI.

Sic itaque demonstrata propositio, quae mihi euincenda erat, scriptiunculam hanc finio, quam facile longius protrahere potuissem, si id aut necessitas, aut institutum meum requireret. Nemo facile Lectorum hic curationem aut hydropis, aut tussis, huic accedentis, expectare potuit. Neque etiam ut hanc exponerem opus esse arbitror, quum solide satis iam a Practicis enodata sit. Utinam modo, ea adhibita, euentus voto semper responderet!

T A N T V M.



Diss. med. Hal.

g. 1763/64.


ULB Halle

005 379 296

3







NAVGVRALIS MEDICA  
 DE  
**DR OPICORVM**  
 MORBI EVENTVM  
 VNNCIANTE

QVAM  
 YMINIS AVSPICIIS  
 ET  
 SAE FACVLTATIS MEDICAE  
 RESIDE  
 ENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**ELIA BÜCHNERO**  
 NI IMPERII NOBILI,  
 E REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,  
 NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
 E ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
 NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
 SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROLINENS.  
 SPELIENS. SODALI,

**V DOCTORIS**  
 NA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 S RITE CONSEQVENDIS  
 R. A. S. R. clō Idcc LXIII.  
 GIA FRIDERICIANA  
 CE DEFENDET  
 AVCTOR  
**EBERHARDVS PFLVGER**  
 ERSTADIENSIS.

EX OFFICINA HENDELIANA.

*D. III Dec*

